



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Urbanus III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remotâ, compellas. Nul- li ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursum.

Datum Veronæ III. Idus Martii.

III.
Ex opt. Di-
plom. Miræi
Tom. II. pag.
1189.

Donationes Godefridi I. Henrici I. & Gode- fridi II. Brabantia Ducum, in favorem equi- tum Templariorum confirmat.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: dilectis filiis magistro & fratribus domus militie Templi salutem & Apostolicam benedictionem.

JUSTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu profes- quente complere.

Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu piam concessionem bonæ memoriæ Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ vobis & domui vestræ rationabiliter factam, ratam esse decernimus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmi- tatem, præsentibus literis duximus inferendam.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quin- decim mansos & Marefium & prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, & vadit secus terram Monachorum Sanctæ Mariæ & terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in pos- terum & ad utilitatem domus vestræ utiliter teneatis.

Præterea nepos ejus Godefridus Dux Lo- tharingiæ, cum propriæ uxoris assensu donum à prædicto Godefrido Avo suo factum recognov- it & ratum habuit, & ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum, tam in Du- catu de Brabantia, quàm in Comitatu de Aref- cot: & in tota terra, & in Ducatu suo, sicut ex Autentico scripto ejus agnovimus, vos ha- bere concessit.

Adjiciens, ut quicumque de fratribus vestris in Curia ejus pro reditu illo colligendo mora- bitur, pro se & duobus scuteriis & tribus equi- taturis scenum & avænam habeat, & candelas, & ferraturas equorum de Curia ipsa percipiat.

Quæ utique omnia, sicut piæ & rationabili- ter data sunt & concessa, rata esse decernimus, & eavo bis & domui vestræ auctoritate Aposto- lica confirmamus, & præsentis scripti patrocini- o communitus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirma- tionis infringere & ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit in- cursurum. Datum Arimini x. Kal. Julii.

Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum & residentiam præscribit.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. De- cano & capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM ab eo cui plus committitur, amplius exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honoratur stu- diosius illi deserviant, & utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duxi- mus Apostolica statuendum, ut honores Carno- tensis Ecclesiæ aliis de cæteris minimè concedan- tur, nisi qui secundum antiquam & rationabi- lem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur ho- noribus alieni.

Ad hæc auctoritate Apostolica inhiemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut Plebanum Pres- byterum admittatur, nisi Priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis in- fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignatio- nem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Velletr. xvi. Calendas Februarii.

Confirmatio Sententiæ contra Comitem Geben- nensem.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratri- bus Viennensi Archiepiscopo & Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedic- tionem.

QUOCIENS in malefactores Ecclesiarum Ecclesiastice distractionis, Sententia pro eor- um excessibus canonicè promulgatur, tamdiu in sua debet firmitate consistere, donec male- factores ipsi cogantur cum satisfactione condigna, quæ perperam gesserant emendare. Hinc est quod Sententiam quam in Comitem Geben- nensem & terram ejus pro dampnis & injuriis Gebennensis Ecclesiæ canonicè promulgatis auc- toritate Apostolica confirmamus, & usque ad satisfactionem debitam præcipimus inviolabili- ter observari. Dat. Velletr. Kal. Julii.

URBANUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXV.

URbanus III. Mediolanensis, Lamber- tus Cribellus antea vocatus, Joannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Ar- chidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kal. Decembris, & coronatus 8. Kalend. Jan. 1185. Sedit annum 1. menses 10.

IV.
Ex spicil.
Dacher.
Tom. III.
pag.

V.
Ex Archivis
Reipublicæ
Genevensis
exprompta
collataque
cum origi-
nali.

ANNO
1185.

ANNO
1185.

dies 25. Creavit Cardinales duos. Obiit Ferrariæ 14. Kalend. Novembris, anno 1187. cuius corpus in Cathedrali Ecclesia Ferrariensi sepultum est. Vacavit sedes diem unum. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 47.*)

I.
Ex Archiv.
Pæpublicæ
Genevensis
exprompta
collataque
cum origi-
nali.

Bulla Papæ Urbani III. quæ confirmat Sententiam latam per Roberum Archiepiscopum Viennensem & Hugonem Abbatem Bonæ Vallis super Controversiis existentibus inter Ardudium Episcopum & Willelmum Comitem.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Nantellino Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EX tenore autentici Scripti nobis innotuit, quod cum discordia que super bannis & iusticiis Ecclesiæ tuæ & hominibus adventiciis vel aliis ad Civitatem pertinentibus inter bonæ memoriæ Ardudium Antecessorem tuum & Willelmum Comitem Gebennensem emerferat, Venerabilis Frater noster Robertus Archiepiscopus Viennensis & dilectus filius Hugo Abbas Bone Vallis suscepissent de assensu partium terminandam. Comes iurejurando & in verbo veritatis Episcopus promiserunt eorum arbitrium inviolabiliter observare. Multi etiam obfides de recipiendo & servando arbitrio iuraverunt. Veritate itaque diligentius inquisita decreverunt ut recordationes olim factæ per homines Ecclesiæ atque Comitum, & eorumdem juramento firmate perpetuo inviolabiliter observentur.

Unde quoniam, ut majorem habeat firmitatem arbitrium ipsum, scripto nostro postulas roborari, tuis iustis postulationibus annuentes, illud sicut in scripto autentico continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ejus vero talis est tenor. In nomine Domini nostri Jesu Christi. *Ego Robertus, &c.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Veronæ 11. Id. Decembr.

II.

Approbatio ordinem Fratrum Cruciferorum, Hospitalis Bononiensis.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Benmagistro & Fratribus cruciferis Hospitalis domus Bononiensis, iam presentibus quam futuris communem vitam ducentibus in perpetuum.

Ex Labbe
Tom. X.
Conc. Col.
1745.

CUM Antecessor tuus, filii Prior, à prædecessore nostro Fel. mem. Alexandro Papa lapidem primarium ad Ecclesiam construendam acceperit, in territorio Bononiensi, ubi domus vestra, nunc constructa dignoscitur: nos vestris postulationibus induciti, eandem Ecclesiam in qua divino estis & pauperum obsequio mancipati, in jus & proprietatem Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus.

Statuentes, ut quascumque possessiones, quæ

cumque bona, eadem Ecclesia vestra cum Hospitali in præsentiarum, iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Hospitalis & Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, &c.

Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas, è sæculo fugientes ad conversionem & pauperum Christi servitium recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua Ecclesiastica, secularive persona, in domum vestram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat ejicere violenter.

Clerici etiam, qui ad domos vestras ordinati fuerint, & assumpti, nulli alii quam tibi filii Prior, præstare obedientiam compellantur.

Prohibemus insuper ne cui liceat vos, aut domos vestras, interdico, vel excommunicationi, sine manifesta & rationabili causa, & legitima citatione subdicere.

Præsentis pagina decernentes, ut nullus Ecclesiarum Prælatus à domibus vestris quicquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere. Salvis censibus illis, qui nunc in quibusdam domibus vestris constituti sunt de consensu Episcoporum annuatim percipiendi.

Nihilominus etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus vestris, ubi tot Fratres assidue commorantur, quibus sit Ecclesia necessaria, liceat vobis oratoria erigere, & Cæmeria fabricare.

Quorum sepulturam liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interditi sint, nullus obstat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Chrisma quoque Oleum Sanctum, dedicationes Ecclesiarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros fuerint ordinationes promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta, à quocumque malueritis Catholico recipiatis Episcopo, qui nostra fultus autoritate, quod postulari impendat.

Ad indicium autem quod eadem domus vestra specialiter Beati Petri existat, duodecim imperiales nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum Ecclesiam & Hospitalis temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit. Secundò, tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examini districtæ ultioni subiaceat.

Cunctis

ANNO
1187.

ANNO
1187.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis inveniant Amen.

Ad te Domine levavi animam meam.

✠ Ego URBANUS Catholice Ecclesiæ Episcopus.

- † Ego Henricus Albanensis Episcopus.
- † Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
- † Ego Theobaldus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus.
- † Ego Petrus Presbit. Card. tit. S. Sufannæ.
- † Ego Laborans Presbit. Card. S. Mariæ Transiberim tit. S. Callisti.
- † Ego Pandulphus Prebist. Card. tit. XII. Apostolorum.
- † Ego Melior Presbit. Card. SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii.
- † Ego Adalardus tit. S. Marcelli, Presbit. Card.
- † Ego Jac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
- † Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
- † Ego Roland. S. Mariæ in Porticu, Diac. Card.
- † Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card.
- † Ego Rad. S. Georgii ad velum aureum, Diac. Card.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis Canonici, viceagentis Cancellariæ VII. Kal. Aprilis Indict. v. Incarnationis Dominicæ, anno MCLXXXVII. Pontificatus vero D. Urbani Papæ III. anno 2.

Ne Domus Claustrales Laicis dentur aut locentur.

III.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano, & capitulo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Dacher.
T. III. Spic.
pag. 550.

AUDIVIMUS & audientes nequivimus non mirari, quod Laici quidam in Claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas Clericorum quies in honesto strepitu sæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur. Jocularibus quidem alatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi Ecclesiæ honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos Canonicales ulterius Laicis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogeretur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas Laici in Claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honestâ familiâ, exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut non nisi Clericis, vel personis regularem vitam professis gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

ANNO
1187.

GREGORIUS VIII.
PONTIFEX CLXXV.
ANNO DOMINI MCLXXXVII.

Gregorius Beneventanus, prius vocatus Albertus omnium suffragio electus est anno 1187. tempore Friderici Imperatoris. Post dies quinquaginta septem Pontificatus sui obiit. (*Magni Bullarii Rom. Tom. I. hujus Edition. Luxemb. 1727. fol. 48.*)

Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.
GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, omnibus Prelatis Ecclesiarum ad quos litteræ iste pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

I.
Lab. T.
X. Concil.
Col. 1752.

QUONIAM ad Episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit: prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesiæ laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & allevare labores, de consueta sedis Apostolicæ misericordia duximus statuendum, ut litteræ prædecessoris nostri Domini Urbani à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro faciendâ justitiâ & litibus dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eundem habeant tempore nostræ administrationis effectum quem habere, si adhuc viveret debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum; ut nemo ad nos pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ sexto Kalendas Novembris.

CLEMENS III.

PONTIFEX CLXXVI.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

ANNO
1188.

Clemens Romanus prius Paulinus anno 1188. Gregorio successit. Bellum contra Saracenos decrevit, cum Philippo Galliarum Rege hinc tributa, seu decimas Saladinæ quas vocant exigens. Siciliæ turbas post Guillelmi Regis obitum sedare conatus est. Obiit anno 1191. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 49.*)

Privilegium concessum Scotorum Ecclesiæ & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188.

I.
Baron. Tom.
XII. pag.
809.

Clemens